

De Somno & Vigilia.

7

A à cibo obrepit somnus, quam quod vapores ab infernis partibus attollantur, qui caput replet. Ac quemadmodum Arist. meritò reprehenditur, quod unicam somni causam ponat, ex evaporatione: sic nec ipse Galenus (meo quidem iudicio) culpa uacat, cum ex sola contractione caloris, nata ob ciudem dissolutionem, naturalem somnum committi putat: si modò iustum est credere (vt postea etiam docebimus) naturales omnes eos esse somnos, qui utiles sunt dormientibus, & à naturalibus, moderatisq; causis nascuntur. Sed quo pacta quæ so agnoscemus Aristotalem errasse? cum Galenus non afferat aliquam rationem, quæ illum refellat, nec ostendat, naturalem somnum contractione caloris fieri, eos verò qui præter naturam sunt, alia ratione: erant enim hæc explicanda ab eo, qui alterius opinionem damnare & nouā inducere studet. Quinetiam illud prætermittendum non erat, quidnam sit contrationis istius causa, & ratio, quis modus: his enim ignoratis, nemo dicere potest, se somni causas teneare. Addo quod certa methodo (vt dixi) causas haud quaquam enumerat, quæ somnos ipsos, vel vapores committunt: veluti quum lactucam, vinum, moderatè dilutum, balneum aquæ potabilis, frictiores extermorum, capitum irrigationes, vigiliam, laborem, & ex æstatibus pueritiam, ex anni verò tempore hymen, & ver, ceteraque huiusmodi, somnos naturales, & utiles efficere, refert: eos vero qui præter naturam sunt, à refrigerantibus, humectantibus, siccantibus, pituita, dolore, contusione cerebri, & reliquis eiusmodi causis propemodum infinitis, nulla ratione constantibus, nec à certis capitibus duætis, nasci commemorat. Nam vt omnes somni vnam habent naturam (ligati siquidem sunt omnes sensus in omni somno, et si vehementius id in soporosis affectibus, quæ in naturalibus somnis fit) ita vnam communem, & immediatam omnibus causam esse oportet, quæ vniuersos somnos parat: quam si quis contemnat, frustra innumeram rerum multitudinem, quæ somnos efficiunt, ad certa capita, vt docendi methodus postulat, redigere conabitur. De qua quidem tempestiuum est, ut nos agamus, consulta ipsa rei natura: postquam ex antiquis scriptoribus nobis desunt in hac re adiumenta.

Somni cause Effectrices que verae putantur. Caput III.

VONIAM per somnum animal sensuum omnium functione priuatur, est utique necessarium, vel omnes, vel aliquas deesse causas ex illis, quarum beneficio singula sensoria sua exercent officia, vigiliamque fieri contingit: est enim somnus vigilæ priuatio, quæ ex priuatione causarum, quæ vigiliam pariunt, inueniendum est, quid somni sit causa. Porro si vigilare est sentire, & dormire est non sentire, aut si maius, ad vigiliam sequitur sensus, ad somnum insensibilitas, aut econtra (de qua re postea disputabimus) causæ erunt vigilæ quæ faciunt, ut animal sentiat. At verò vt sentiat, necesse est sentiendi vim, & eam, quæ sensations apprehendit, siue una, siue vniuersæ sint facultates, rectè habere: & quoniam sensus omnis exercetur in aliquo sensorio, vt visus in oculo, auditus in aure, oportet pariter sensoria bene esse affecta ad sentiendum. Ac quia facultas sensitiva ab uno fonte in alias partes emanat, oportet utique esse instrumenta quedam, per quæ vis illa deducatur, & spargatur. Ceterum quia facultas eget communis instrumento corporeo, opus est corporis cavitates & loca, per quæ illud mouetur, non occlusa, sed expedita esse: desiderantur quoque propria obiecta singulorum sensuum, & in aliis idonea interualla, vt sensus fiat. Porro facultas ad sensationem est idonea, quæ corrupta non est, nec occupata in alio opere, nec vehementer debilitat: sensoria verò ut agere possint, structuram secundum naturam desiderant. Instrumenta autem duplia requirit facultas, nervos scilicet, per quos ea influit, & exercet suam uim, & calidum influens, cuius motu, & praesentia, omnes animæ, & corporis functiones obeuntur. Ac quod necessaria sint haec omnia, & sensations fiant, promptum est ostendere. Nam qui in certamine vulnerantur, non sentiunt plagas illatas: quod mens, uel communis sentiendi uis uniuersa occupata sit in repugnando, laetando, ita ut simul non ualeat apprehendere quæ patitur corpus. Delirantes dolorem, & uoluptatem quæ frunt in sensorijs, haudquam percipiunt: quod eadem facultas corrupta sit, aut certè perinde afficiatur, ut nequeat suum munus obire. In his uero qui morti iam sunt propinquii, definiunt sensations fieri, saepè quod sentiendi facultas, ex morbo sit resoluta, & propemodum extincta, sic in febribus pestilentibus, quia forma partium corrupta est, unde facultates collabuntur, pulsus arteriarum, & alias actiones, insignem noxam sentiunt. Si uero sensoria laborent, ad portionem lesionis, non fit, aut perperam fit sensus, ut uidemus multos surdos, & cæcos esse propter oculorum, & aurium morbos. Quod uero paralitici non sentiant, aperte agnoscunt medici id fieri, propterea quod facultas nequit, ob affectum neruorum peruenire ad sensoria. Atqui apoplectici omni sensu, & motu priuantur, quia cerebri ventriculi, & cavitates occlusæ sunt, ita ut per illas facultati, & calido, uia non pateat ad nervos. Porro in uehementi timore homo non uidet, non audit, non mouetur: quoniam in huiusmodi passionibus innatum calidum ad suam originem, nempe cor, contrahitur, quod fit ut sentiendi facultati adesse non possit, quod quidē argumento est illa absque huius presentia, non posse exerceri. Vbi non adsunt colores, nō uidemus, nec au-

Ioannis Argent. de Somno & Vigilia.

A 4 dimus,